

Franckesche Stiftungen zu Halle

Caii Velleii Patercvli Historiae Romanae Ad M. Vinicium Cos. Libri Dvo Qvantvm Exstant

Velleius <Paterculus>

Halae, MDCCLXXIX.

VD18 12434159

Liber I.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213763



C. VELLEII PATERCVLI
HISTORIAE
ROMANAE

AD
M. VINICIVM Cos.
LIBER I.

CAP. I.

*** **T**empestate disractus a duce suo Ne- I
store, Metapontum condidit. Teu-
cer, non receptus a patre Telamone, ob segni-
tiam non vindicatæ fratris iniuriæ, Cyprum ad-
pulsus, cognominem patriæ suæ Salamina con-
stituit. Pyrrhus, Achillis filius, Epirum oc-
cupavit. Phidippus Ephyræ in Thesprotia,
at rex regum Agamemnon, tempestate in Cre- 2
tæ insulam reiectus, tres ibi vrbes statuit,
duas a patriæ nomine, vnam a victoriæ memo-
ris, Mycenæ, Tegeam, Pergamum. idem mox,
scelere patruelis fratris Ægisthi, hereditarium
exercentis in eum odium, & facinore vxoris op-
C. Vell. Paterc. A pres-

- 3 pressus occiditur. regni potitur Ægisthus per annos VII hunc Orestes, matremque, locia consiliorum omnium sorore Electra, virilis animi femina, obruncat. factum eius a diis comprobatur spatio vitæ & felicitate imperii apparuit: quippe vixit annis XC regnavit LXX. qui se etiam a Pyrrho, Achillis filio, virtute vindicavit. nam, quod pater eius, Menelai atque Helenæ filia, Hermiones, nuptias occupaverat, Delphis eum interfecit. Per hac tempora Lydus & Tyrrhenus fratres cum regnarent in Lydia, sterilitate frugum compulsi, foris sunt, vter cum parte multitudinis patria decederet. fors Tyrrhenum contigit. peruectus in Italiam, & loco & incolis & mari nobile ac perpetuum a se nomen dedit. Post Orestis interitum, filii eius Penthilus & Tisamenus regnauere triennio.

- 1 CAP. II. Tum, fere anno octogesimo post Troiam captam, centesimo & vicessimo quam Hercules ad deos excesserat, Pelops progenies, quæ omni hoc tempore, pulsus Henclidis, Peloponnesi imperium obtinuerat, ab Herculis progenie expellitur. duces recuperandi imperii fuere, Temenus, Cresphontes, Aristodemus; quorum abauus fuerat. Eodem fere tempore Athenæ sub regibus esse defuerunt: quarum ultimus rex fuit Codrus, Melanthi filius, vir non prætereundus. quippe, cum Lacedæmonii graui bello Atticos premerent, respon-

respondissetque Pythius, quorum dux ab hoste
 esset occisus, eos futuros superiores; deposita
 veste regia, pastorem cultum induit, immix-
 tusque castris hostium de industria, impruden-
 ter, rixam ciens, interemptus est. Codrum cum
 morte aeterna gloria, Athenienses secuta victo-
 ria est. quis eum non miretur, qui his artibus
 mortem quaesierit, quibus ab ignavis vita quæri
 solet? Huius filius Medon primus Archon
 Athenis fuit. ab hoc posterius apud Atticos dicti
Medonidae, sed ii, insequentibusque Archon-
 tes, usque ad Charopem, dum viuerent, eum
 honorem usurpabant. Peloponnesii, digre-
 dientes finibus Atticis, Megaram mediam Co-
 rintho Athenisque urbem condidere. Ea tem-
 pestate & Tyria classis, plurimum pollens mari,
 in ultimo Hispaniæ tractu, in extremo nostri
 orbis termino insulam circumfulam Oceano,
 perexiguam a continenti diuisam freto, Gades
 condidit. ab iisdem post paucos annos in Afri-
 ca Utica condita est. E clasi ab Heraclidis
 Orestis liberi, iactatique cum variis casibus, tum
 scurra maris, quintodecimo anno sedem ce-
 pere circa Lesbiam insulam.

CAP. III. Tum Græcia maximis con-
 cussa est motibus: Achai ex Laconica pulsi,
 eas occupauere sedes, quas nunc obtinent: Pe-
 lasgi Athenas commigrauerunt: acerque belli
 iuuenis, nomine Thessalus, natione Thespro-
 tius, cum magna ciuium manu, eam regionem

armis occupavit, quæ nunc ab eius nomine
Thessalia appellatur, ante Myrmidonum vocata
 2 ciuitas. Quo nomine mirari conuenit eos, qui Iliaca componentes tempora, de ea regione ut *Thessalia* commemorant: quod cum alii faciant, Tragici frequentissime faciunt. quibus minime id concedendum est. nihil enim ex persona poetæ, sed omnia sub eorum, qui illo tempore vixerunt, dixerunt. quod si quis a Theffalo, Herculis filio, eos appellatos *Thessalos* diceret: reddenda erit ei ratio, cur numquam ante hunc insequentem Theffalum, ea gens id
 3 nominis usurpauerit. Paulo ante Aletes, sextus ab Hercule, Hipponis filius, Corinthum, quæ antea fuerat Ephyre, claustra Peloponnesi continentem, in Isthmo condidit. Neque est, quod miremur ab Homero nominari *Corinthum*. nam ex persona poetæ & hanc urbem & quasdam lonum colonias iis nominibus appellat, quibus vocabantur ætate eius, multo post illium captum conditæ.

I CAP. IV. Athenienses in Eubœa Chalcida & Erethriam colonis occupauere; Lacedæmonii in Asia Magnesiâ. Nec multo post Chalcidenses, orti, ut prædiximus, Atticis Hippocle & Megasthene ducibus, Cumas in Italia condiderunt. huius classis cursum esse directum
 alii *columbæ antecedentis volatu* ferunt, alii
nocturno aeris sono, qualis Cerealibus sacris cieri
 2 solet. Pars horum ciuium magno post intervallo

teruallo Neapolim condidit. vtriusque vrbs
 e iniis semper in Romanos fides facit eas nobi-
 litate atque amœnitate sua dignissimas. sed aliis
 diligentior ritus patrii manlit custodia: Cu-
 manos Ofca mutauit vicinia. vires autem vete-
 res earum vrbiũ hodieque magnitudo osten-
 tat mœnium. Subsequenti tempore magna 3
 vis Græcæ inuenturis, abundantia virium sedes
 quaritans, in Asiam se effudit. nam & Iones,
 duce Ione profecti Atheis, nobilissimam par-
 tem regionis maritimæ occupauere, quæ hodie-
 que appellatur Ionia; vrbesque constituere,
 Ephesum, Milerum, Colophona, Prienen, Le-
 bedum, Myuntein, Erythraeum, Glazomenas,
 Phocæam; multasque in Ægæo atque Icario
 occupauere insulas, Samum, Chium Andrum,
 Tenum, Parum, Delum, aliasque ignobiles.
 Et mox Æoliũ, eadem profecti Græcia, longis- 4
 simisque aëli erroribus non minus iniustres ob-
 tinuerunt locos, clarasque vrbes condiderunt,
 Smyrnam, Cyren, Larissam, Myrinam, Mi-
 tylenemque, & alias vrbes, quæ sunt in Lesbo
 insula.

CAP. V. Clarissimum deinde Homeri 1
 inluxit ingenium, sine exemplo maximum: qui
 magnitudine operis, & fulgore carminum, so-
 lus appellari *Poëta* meruit in quo hoc maxi- 2
 mum est, quod neque ante illum, quem ille
 imitaretur, neque post illum, qui eum imitari
 posset, inuentus est. neque quemquam alium,

A 3

cuius

cuius operis primus auctor fuerit, in eo perfectissimum, præter Homerum & Archilochum,
 3 reperiemus. Hic longius a temporibus belli, quod composuit, Troici, quam quidam rentur, absuit. nam ferme ante annos DCCCL. floruit, intra mille natus est. quo nomine non est mirandum, quod sæpe illud usurpat. *ἄνθρωπος* hoc enim ut hominum, ita sæculorum notatur differentia. quem si quis cæcum genitum putat, omnibus sensibus orbis est.

- 1 CAP. VI. Insequenti tempore imperium Asiaticum ab Assyriis, qui id obtinuerant annis MLXX, translatum est ad Medes, abhinc annos
 2 ferme DCCCLXX. quippe Sardanapalum eorum regem, molliis fluentem, & nimium felicem malo suo, tertio & vicesimo loco ab Nino & Semiramide, qui Babylona condiderant, natum, ita ut semper successor regni paterni foret filius, Pharnaces Medus imperio vitæque privavit. Ea ætate clarissimus Graii nominis Lycurgus Lacedæmonius, vir generis regii, fuit severissimarum iustissimarumque legum auctor, & disciplinæ convenientissima vir; cuius quamdiam sparta diligens fuit, excelsissime floruit.
 4 Hoc tractu temporum, ante annos quinque & sexaginta, quam urbs Romana conderetur, ab Elissa Tyria, quam quidam Dido autumant,
 5 Carthago conditur. Circa quod tempus Caranus, vir generis regii, sextus decimus ab Hercule, profectus Argis, regnum Macedoniæ occupavit.

cupauit. a quo magnus Alexander cum fuerit
septimus decimus, iure, materni generis Achil-
le auctore, paterni Hercule, gloriatuſ est.
(Æmilius Sura de annis populi Romani: *Assy-* 6
rii, principes omnium gentium, rerum potiri
sunt: deinde Medi: postea Persæ: deinde Ma-
cedones. exinde duobus regibus, Philippo & An-
tiocho, qui a Macedonibus oriundi erant, haud
multo post Carthaginem subactam, deuictis, sum-
ma imperii ad populum Romanum peruenit.)

CÆ. VII. Inter hoc tempus & initium I
Nini regis Assyriorum, qui princeps rerum po-
situs, interfunt anni MCCCCXCV. Huius
temporibus æqualis Hesiodus fuit, circa CXX
annos distinctus ab Homeri ætate, vir perele-
gantis ingenii, & mollissima dulcedine carmi-
num memorabilis; orti quietisque cupidissi-
mus, ut tempore tanto viro, ita operis auctori-
tate proximus. qui vitauit, ne in id quod Ho-
merus, incideret, patriamque & parentes testa-
tus est; sed pariter, quia multatus ab ea erat,
contumeliosissime. Dum in externis moror, 2
incidi in rem domesticam, maximique erroris
& multum discrepantem auctorum opinionibus.
Nam quidam, huius temporis tractu,
aiunt, a Tuscis Capuam Nolamque conditam,
ante annos fere DCCCXXX. quibus equidem
adsenserim, sed M. Cato quantum differt! qui 3
dicat, Capuam ab eisdem Tuscis conditam, ac
subinde Nolam: stetit autem Capuam, ante
quem

quam a Romanis caperetur, annis circiter
cclx. quod si ita est; cum sint a Capua ca-
pta anni ccxl; ut condita est, anni sunt se-
re D. Ego (pace diligenter Catonis dixerim)
vix crediderim, tam mature tantam urbem cre-
visse, floruisse, concidisse, resurrexisse.

I CAP. VIII. Clarissimum deinde omnium
ludi rum certamen, & ad excitandam corporis
animique virtutem efficacissimum, Olympio-
rum initium, habuit auctorem Iphium Elium.
is eos ludos mercatumque instituit ante annos,

2 quam tu, M. Vinici, consulatum inires,
dccciv. hoc sacrum eodem loco instituisse
fertur abhinc annos ferme mcl. Atreus,
cum Pelopi patri funebres ludos faceret. quo
quidem in ludicro omnis generis certaminum

3 Hercules victor exstitit. Tum Athenis perpe-
tui Archontes esse desierunt, cum fuisset vlti-
mus Alemæon: cœperuntque in denos annos
creari, quæ consuetudo in annos lxx. mansit:
ac deinde annuis commissa est magistratibus
respublica. Ex iis, qui denis annis præfue-
runt, primus fuit Charops, vltimus Eryx; ex

4 annuis, primus Creon. Sexta Olympiade,
post duos & viginti annos, quam prima con-
stituta fuerat, Romulus Martis filius, vltus in-
lurias aut, Romam urbem Palilibus in Palatio
condidit. a quo tempore ad vos Coss. anni
sunt dcccxxxii. id actum post Troiam ca-

5 ptam annis cdxxxvii. id gessit Romulus,
ad-

adiutus legionibus Latini ani sui. libenter enim his, qui ita prodiderunt, accesserim: cum aliter summare urbem nouam, iam vicinis Veienribus, aliisque Etruscis ac Sabinis, cum inbelli & pastorali manu vix potuerit. quamquam, iam Asylo facto inter duos lucos, auxit. Hic centum homines electos, appellatosque *6* *Patres*, instar habuit consilii publici. hanc originem nomen *Patriciorum* habet. Raptus virginum Sabinarum

* * * * *

CAP. IX. * * * * * quam timuerat hostis, *1*
expetit. nam biennio adeo varia fortuna cum
Coss. conflixerat, ut plerumque superior fuerit, magnamque partem Graciae in societatem suam perduceret. Quin Rhodii quoque, fide- *2*
lissimi antea Romanis, tum dubia fide, speculati fortunam, prouiores regis partibus fuisse visi sunt: & rex Eumenes in eo bello medius fuit animo, neque fratris iniuriis, neque suae respondit consuetudini. Tum senatus populus- *3*
que Romanus L. Aemilium Paulum, qui & praetor & Consul triumphauerat, virum in tantum laudandum, in quantum intelligi virtus potest, *Cos.* creauit: filium eius Pauli, qui ad Cannas quam tergiuersanter perniciosam reipublicae pugnam inerat, tam fortiter in ea mortem obierat. is Persen ingenti praelio, apud urbem *4*
nomine Pydnam in Macedonia, fufum fugatumque castris exiit, delerisque eius copiis,

A 3

desit

- destitutum omni spe coëgit e Macedonia profugere. quam ille linquens, in insulam Samo-
thraciam profugit, templique se religioni sup-
plicem credidit. Ad eum C. Octavius prator,
qui classi præerat, peruenit; & ratione magis
quam vi persuasit, ut se Romanorum fidei com-
mitteret. Ita Paullus maximum nobilissimum-
que regem in triumpho duxit. Quo anno
& Octavii pratoris navalis, & Anicii, regem
Illyriorum Gentium ante currum agentis,
triumphi fuere celebres. Quam sit assidua
eminentis fortunæ comes invidia, altissimisque
adharreat, etiam hoc colligi potest: quod, cum
Anicii Octaviique triumphum nemo interpel-
larer, fuere, qui Paulli impedire obniterentur:
cuius tantum priores excessus, vel magnitudine
regis Persei, vel specie simulacrorum, vel modo
pecuniæ, ut his millies centies HS arario con-
tulerit, & omnium ante actorum comparatio-
nem amplitudine vicerit.
- 1 CAP. X. Per idem tempus, cum Antio-
chus Epiphanes, qui Athenis Olympicum in-
choavit, tam Rex Syriæ, Ptolemaum puerum
Alexandriæ obsideret; missus est ad eum lega-
tus M. Popillius Lanas, qui iuberet incepto de-
fistere. mandataque exposuit; & regem, deli-
beraturum se dicentem, circumscriptis virgula,
iussitque, prius responsum reddere, quam egre-
deretur finito arenæ circulo. sic cogitationem
regiam Romana disiecit constantia; obeditum-
que

que imperio. Lucio autem Paulo, magna 3
 victoria compositi, quatuor filii fuere. ex iis
 duos, natu maiores, unum P. Scipioni, P. Afri-
 cani filio, nihil ex paterna maiestate, prater
 speciem nominis, vigoremque eloquentiæ, re-
 tinenti, in adoptionem dederat; alterum Fabio
 Maximo: duos minores natu, pratextatos, quo
 tempore victoriam adeptus est, habuit. Is 4
 cum in concione extra urbem, more maiorum,
 ante triumphi diem, ordinem actorum suorum
 commemoraret, deos immortales precatus est,
ut, si quis eorum invideret operibus ac fortune
sua, in ipsum potius sauirent, quam in repu-
blicam. quæ vox, veluti oraculo emissa, magna 5
 parte eum spoliavit sanguinis sui. nam alterum
 ex suis, quos in familia retinuerat, liberis, ante
 paucos triumphi, alterum post pauciores ami-
 sit dies. Aspera circa hæc tempora censura 6
 Fulvii Placii & Postumii Albini fuit. quippe
 Fulvii censoris frater, & quidem censor, Cn.
 Fulvius, senatu motus est ab iis censoribus.

CAP. XL. Post victam captamque Per- 1
 sam, qui quadriennio post in libera custodia
 Alba detinuit, *Pseudophilippus*, a mendacio
 simulatae originis appellatus, qui se Philippum
 regiaeque stirpis ferebat, cum esset ultima, ar-
 mis occupata Macedonia, adsumtis regni insi-
 gnibus, brevi temeritatis pœnas dedit: quippe 2
 Q. Metellus prætor, cui ex virtute *Macedonici*
 nomen inditum erat, præclara victoria ipsum
 A 6 gen-

- gentemque superauit, & immani etiam Achaos
 3 rebellare incipientes fudit acie. Hic est Metellus Macedonicus, qui porticus, quæ suere circumdatae duobus ædibus sine inscriptione possitis, quæ nunc Octauiz porticibus ambiuntur, fecerat: quique hanc turmam statuarum equestrium, quæ frontem ædium spectant, hodieque maximum ornamentum eius loci, ex Macedonia derulit, cuius turmæ hanc causam referunt: Magnum Alexandrum impetrasse a Lysippo, singulari talium auctore operum, ut eorum equitum, qui ex ipsius turma apud Granicum flumen ceciderant, expressa similitudine figurarum, faceret statuas, & ipsius quoque iis
 5 interponeret. Hic idem, primus omnium Romæ ædem ex marmore in iis ipsis monumentis molitus, vel magnificentiæ vel luxuriæ
 6 princeps fuit. Vix ullius gentis, ætatis, ordinis hominem inueneris, cuius felicitatem fortunæ Metelli compares. nam præter excellentes triumphos, honoresque amplissimos, & principale in republica fastigium, extenrumque vitæ spatium, & acres innocentesque pro republica cum inimicis contentiones, quatuor
 7 filios sustulit: omnes adultæ ætatis vidit, omnes reliquit superstites & honoratissimos. mortui eius lectam pro rostris sustulerunt quatuor filii: vnus consularis & censorius, alter consularis, tertius consul, quartus candidatus consularatus, quem honorem adeptus est. Hoc est

est nimirum magis feliciter de vita migrare,
quam mori.

CAP. XII. Vniuersa deinde, vt præ-
diximus, instincta in bellum Achaia, cuius
pars magna eiusdem Merelli Macedonici vir-
tute armisque fracta erat, maxime Corinthiis
in arma, cum grauib; etiam in Romanos con-
tumeliis, instigantibus, destinatus ei bello ge-
rendo Cos. Mummius. Et sub idem tempus, 2
magis, quia volebant Romani, quicquid de
Carthaginiensibus diceretur, credere, quam
quia credenda adferebantur, statuit senatus
Carthaginem excidere. Ita eodem tempore 3
P. Scipio Æmilianus, vir auitis P. Africani pa-
ternisq; L. Pauli virtutibus simillimus,
omnibus belli ac togæ dotibus, ingenique ac
studiorum eminentissimus sæculi sui, qui nihil
in vita nisi laudandum aut fecit aut dixit ac
sensit; quem, Paulo genitum, adoptatum a
Scipione Africani filio, diximus, adilitatem
petens Cos. creatus est. Bellum Carthaginē, 4
iam ante biennium a prioribus Coss. inlatum
maiore vi intulit; cum ante in Hispania murali
corona, in Africa obsidionali donatus esset;
in Hispania vero etiam ex prouocatione, ipse
modicus virum, immanis magnitudinis ho-
stem interemisset. Eamque urbem, magis 5
inuidia imperii, quam ullius eius temporis
noxæ inuisam Romano nomini, funditus sus-
tulit, fecitque suæ virtutis monumentum,

A 7

quod

quod fuerat aui eius ~~elementis~~ Carthago del-
rta est, cum stetit annis DCLXVII, ab-
hinc annos CLXXVII, Cn. Cornelio Lentulo,

- 6 L. Mumio Coss. Hunc finem habuit Ro-
mani imperii Carthago amica; cum qua bel-
lare maiores nostri cœpere Claudio & Fulvio
Coss. ante annos CCXCVI, quam tu, M. Vi-
nici, consulatum inires. ita per annos CCV,
aut bellum inter eos populos, aut belli prapa-
ratio, aut infida pax fuit. neque se Roma, iam
7 terrarum orbe superato, securam speravit fore,
si nomen usquam stantis maneret Carthaginis,
adeo odium, certaminibus ortam, ultra me-
tuin durat, & ne in vicis quidem deponitur,
neque ante invisum esse desinit, quam esse
desit.

- 1 CAP. XIII. Ante triennium, quam Car-
thago deleteretur, M. Cato, perpetuus diruen-
dæ eius auctor, L. Censorino, M. Manlio
Coss. mortem obiit. Eodem anno, quo Car-
thago concidit, L. Mumius Corinthum, post
annos DCCCCLII, quam ab Alete Hippotis filio
2 erat condita, funditus eruit. vierque impe-
rator, deuictæ a se gentis nomine honoratus,
aliter *Africanus*, alter appellatus est *Achaicus*,
nec quisquam ex nouis hominibus prior Mum-
mio cognouit virtute partum vindicauit.
3 Diuersi imperatoribus mores, diuersa fuisse
studia. quippe Scipio tam elegans liberalium
studiorum, omnisque doctrinæ & auctor &
ad.

admirator fuit, ut Polybium, Panatiumque, præcellentes ingenio viros, domi militiaque secum habuerit. neque enim quisquam hoc Scipione elegantius interualla negotiorum otio dispunxit, semperque aut belli aut pacis seruiit artibus: semper inter arma ac studia versatus, aut corpus periculis aut animum disciplinis exereuit. Mummius tam rudis fuit, 4 ut capta Corintho, cum maximorum artificum perfectas manibus tabulas ac statuas, in Italiam portandas locaret, iuberet prædici conducen- tibus, si eas perdidissent, nouas eos redditu- ros. Non tamen puto dubites, Vinici, quin 5 magis pro republica fuerit; manere adhuc ru- dem Corinthiorum intellectum, quam in tan- tum ea intelligi; & quin hac prudentia illa im- prudentia decori publico fuerit conuenien- tior.

CAP. XIV. Cum facilius cuiusque rei I in vnum contracta species, quam diuisa tem- poribus, oculis animisque inhæreat; statui priorem huius voluminis posterioremque par- tem, non inuili rerum notitia in artum con- tracta, distinguere: atque huic loco inferere, quæ quoque tempore, post Romam a Gallis captam, deducta sit colonia iussu senatus. nam militarium & causæ & auctores & ipsarum præfulgent nomina. huic rei per idem tempus ciuitatem propagatam, auctumque Romanum nomen communione iuris, haud intempeste sub-

sub.

- 2 subtexturi videmur. Post septem annos, quam Galli urbem ceperunt, *Sutrium* deducta colonia est, & post annum *Serina*, nouemque interiectis annis *Nepe*; deinde, interpositis duobus & triginta, *Aricini* in ciuitatem recepti.
- 3 abhinc annos autem cccL, Sp. Postumio, Veturio Caluino Coss. *Campanis* data est ciuitas, partique *Samnitium*, sine suffragio: & eodem anno *Cales* deducta colonia. Interiecto deinde triennio *Fundani* & *Formiani* in ciuitatem recepti, eo ipso anno, quo *Alexandria* condita. insequentibusque Coss. a Sp. Postumio, Philone Publilio censoribus *Acerranis* data ciuitas, & post triennium *Tarracina* deducta colonia, interpositoque quadriennio *Luceria*; ac deinde, interiecto triennio, *Suessa Aurunca*; & *Saticula*, *Interamna*que post biennium.
- 5 Decem deinde hoc munere anni vscauerunt. tunc *Sora* atque *Alba* deductæ coloniz, & *Car-*
- 6 *seoli* post biennium. at quintum Fabio, Decio Mure quartam Coss. quo anno *Pyrrhus* regnare cœpit, *Suuessam*, *Minturnam*que missi coloni; post quadriennium *Venusiam*. interiectoque biennio, M. Curio & Rufino Cornelio Coss. *Sabinis* sine suffragio data ciuitas. id actum
- 7 ante annos ferme cccxx. at *Cesam* & *Pas-*
stum abhinc annos ferme ccc, Fabio Dorfone & Claudio Canina Coss. interiecto quinquennio, & Sempronio Sopho & Appio Caci filio Coss. *Ariminum*, *Beneuentum* coloni missi; &

& suffragii ferendi ius *Sabinis* datum. at initio 8
 primi belli Punici *Firmum* & *Castrum* colo-
 nis occupata. & post annum *Aesernia*, post-
 que xxi annos *Aejulum* & *Alifium*; *Fregella*-
 que post biennium; proximoque anno, Tor-
 quato Sempronioque Coss. *Brundisium*, &
 post triennium *Spolegium*; quo anno Flora-
 lium ludorum factam est initium. postque
 biennium ducta *Valentia*, & sub aduentum
 in Italiam Hannibalis, *Cremona*, atque *Pla-*
centia.

CAP. XV. Deinde, neque dum Hanni-
 bal in Italia moratur, neque proximis post ex-
 cessum eius annis, vacavit Romanis colonias
 condere; cum esset in bello conquirendus po-
 tius miles quam dimittendus; & post bellum
 vires refouenda magis, quam spargenda. Cn. 2
 autem Manlio Volsone & Fulvio Nobiliore
 Coss. *Bononia* deducta colonia, abhinc annos
 ferme cccxvii. & post quadriennium, *Pisau-*
rum ac *Potentia*; interiectoque triennio *Aqui-*
leia & *Gravisca*, & post quadriennium *Luca*.
 Eodem temporum tractu, quamquam apud 3
 quosdam ambigitur, *Puteolos* *Salernum*que &
Buxentum missi coloni. *Auximum* autem in
Picenum, abhinc annos ferme clxxxvii,
 ante triennium, quam Cassius censor, a Lu-
 percali in Palatium versus, theatrum facere in-
 stituit. cui in demoliendo eximia ciuitatis fe-
 veritas & Cos. Scipio resistere. quod ego in-
 ter

ter clarissima publicæ voluntatis argumenta numeraverim. Cassio autem Longino & Sexcio Caluino, qui Salues apud Aquas, quæ ab eo *Sexcia* appellantur, deuicit, consulibus, *Fabrazeria* deducta est, abhinc annos ferme *CLVII*, & post annum, *Scylacium*, *Mineruium*, *Tarentum*, *Neptunia*, *Ciribago*que in Africa, prima, ut prædiximus, extra Italiam colonia condita est. De *Dertona* ambigitur. *Narbo* autem *Martius* in Gallia. Porcio Marcioque *Coss.* abhinc annos circiter *CLIII*, deducta colonia est. post tres & viginti annos in *Vagiennis Eporedia*, Mario sexiens, Valerioque *Flacco Coss.* Neque facile memoriæ mandauerim, quæ, nisi militaris, post hoc tempus deducta sit.

CAP. XVI. Cum hac particula operis velut formam proposui excesserit, quamquam intelligo, mihi in hac tam præcipiti festinatione, quæ me rotæ pronine gurgis ac verticis modo nusquam petitur consistere, præ magis necessaria prætereunda, quam superuacua amplectenda: nequeo tamen temperare mihi, quin rem sæpe agitatam animo meo, neque ad liquidum ratione perductam, signem stilo.

2 Quis enim abunde mirari potest, quod eminentissima cuiusque professionis ingenia, in eandem formam, & in idem artium temporis congruens spatium; & quemadmodum clausa capto, alioque septo, diuersi generis animalia, nihil

nihilo minus separata alienis, in vnumquod-
que corpus congregantur; ita cuiusque clari
operis capacia ingenia in similitudinem & tem-
porum & profectuum senserit ipsa ab aliis sepa-
rauerunt? Vna, neque multorum annorum 3
spatio diuisa, aetas, per diuini spiritus viros,
Æschylum, Sophoclem, Euripidem, instra-
vit tragædias: vna priscam illam & veterem
sub Cratino, Aristophane & Eupolide comæ-
diam; ac nouam comicam Menandrus, aqua-
lesque eius ætatis magis quam operis, Philemon
ac Diphilus, & inuenere intra paucissimos an-
nos, neque imitanda relinquere. Philotopho- 4
rum quoque ingenia, Socratico ore defluentia,
omnium, quos paulo ante enumerauimus,
quanto post Platonis Aristotelisque mortem
florere spatio? Quid ante Ilocratem, quid 5
post eius auditores eorumque discipulos clarum
in oratoribus fuit? adeo quidem artatum an-
gustius temporum, vt nemo memoria dignus
alter ab altero videri nequiverint.

CAP. XVII. Neque hoc in Græcis, quam 1
in Romanis, euenit magis. nam, nisi aspera
ac rudia reperas, & inuenti laudanda nomine,
in Accio circaque eum Romana tragædia est.
dulcesque Latini leporis facetiæ per Cæcilium
Terentiumque & Afranium suppari ætate ni-
tuerunt. Historicos (vt & Liuium quoque 2
priorum ætati astruas) præter Catonem, & quos-
dam vereres & obscuros, minus lxxx annis
cir-

cir-

- circumdatum æuum tulit: vt nec poëtarum
 3 in antiquius ceteriusue processit vbertas. At
 oratio, ac vis forensis, perfectumque prosæ elo-
 quentia decus, vt idem separatur Cato (pace
 P. Crassi, Scipionisque, & Lælii, & Graccho-
 rum, & Fannii & Ser. Galbæ dixerim) ita
 vniuersa sub principe operis sui erupit Tullio;
 vt delectari ante eum paucissimis, mirari vero
 neminem possis, nisi aut ab illo visum, aut qui
 4 illum viderit. Hoc idem euenisse grammati-
 cis, plastis, pictoribus, sculptoribusque, si quis
 temporum insisterit notis, reperiet, & eminentia
 cuiusque operis artissimis temporum clau-
 5 stris circumdata. Huius ergo precedentisque,
 inquam, sæculi ingeniorum similitudinis, con-
 gregantis se & in studium par, & in emolumen-
 tum, causas cum semper requiro, numquam
 reperio, quas esse veras confidam, sed fortasse
 6 verisimiles: inter quas has maxime. Alit
 æmulatio ingenia: & nunc inuidia, nunc ad-
 miratio incitationem accendit: naturaque,
 quod summo studio petatum est, ascendit in
 summum: difficilisque in perfecto mora est;
 naturaliterque, quod procedere non potest, re-
 7 cedit. &, vt primo ad consequendos, quos
 priores ducimus, accendimur; ita, vbi aut
 præteriri, aut æuari eos posse desperauimus,
 studium cum spe senescit; & quod adsequi non
 potest, sequi desinit; &, velut occupatam re-
 linquens materiam, quatit nouam; præterito-
 que

que eo, in quo eminere non possumus, aliquid
in quo nitamur conquirimus: sequiturque, vt
frequens ac mobilis transitus maximum per-
fecti operis impedimentum sit.

CAP. XVIII. Transít admiratio a con- 1
ditione temporum, & ad urbium. Vna vrbs
Antica pluribus annis eloquentia, quam vni-
versa Græcia, vberiusque floruit, adeo vt cor-
pora gentis illius separata sint in alias ciuitates,
ingenia vero solis Atheniensium muris clausa
existimes. Neque ego hoc magis miratus 2
sum, quam neminem Argium, Thebanum, La-
cedæmonium oratorem aut dum vixit auctori-
tate, aut post mortem memoria dignum exi-
stimatum. quæ vrbes, & multæ aliæ, talium 3
studiorum fuere steriles, nisi Thebas vnum os
Pindari inluminaret, nam Alcmana Lacones
falso sibi vindicant.



C. VEL-